

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE IN ||
PRAECIPVIS ET ALIIS TOTIVS || anni festis diebus populo
in Ecclesia proponi || solent, è ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1566

IN FERIIS CATHARINAE VIRGINIS ET MARTYRIS, EPISTOLA.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150282

diabolum intelligit, sequutus Origenem: alij extremum diem. *Vterque enim fur est, teste Petro 1. Pet. 5. & 2. eiusdem. 3. cap. Per patrem familias unusquisque nostrum intelligitur, cui domus conscientie sub custodia commissæ est. Dictum est ergo omnibus nobis, Vigilate, Marc. 13. Nescitur dies nec hora, mors est certa, dies incerta, incertior hora. Consulat ergo anima qui sapit ille sue.*

IN FERIIS CATHARINAE VIR-
GINIS ET MARTYRIS,
EPISTOLA.

Sap. 7. et 8. *Sapientia vincit malitiam, &c. Finis Epistolæ:
& electrix operum illius.*



ectionis huius verba sapientissimus Israëlitarum rex Salomon in diuinæ sapientiæ encomion loquutus est, quo nos omnibus aliis posthabitis in vnus eius amoris & admirationem citius & libentius rapiamur: & præsertim tractat duo: Primò ostendit quæ sit hæc sapientia, ne quis arbitretur hic loqui eum de vulgari sapientia, quæ est affectio quædam animi, circa diuinarum, humanarumque rerum cognitionem versans. Et ostendit se præcipuè loqui de ea sapientia quæ omnem sapientiam transcendit, & à qua omnis sapientia veluti riuius è fonte proficiscitur, nempe de ipsa sapientia Dei, quæ est filius Dei Iesus Christus Seruator noster. hic enim summa illa Dei sapientia est, in quo omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri recòditi sunt, Collost. 2. qui & nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. de hac dicit Salomon: *Sapientia vincit malitiã.* Vicit enim Christus morte sua diabolum, mortem, peccatum, &c. Apoc. 5. Vicit leo de tribu Iuda, vide etiam, Luc. 11. Io-

han. 12. & 14. Rom. 5. Neque hunc potuit, neque potest vincere malitia, nam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, Isa. 53. 1. Pet. 2. Imò nec vllum eorū vnquam potuit malitia vincere, qui huic sapientiæ adhæserunt, qui in hanc spei suæ collocarunt ancoram. Sic enim ipsa dicit, Matth. 16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiã meam. Et Paulus ait: Nihil damnationis illos manet, qui insiti sunt Christo Iesu: nam si

Deus

*Sapientia
Dei, filius
Dei Iesus
Christus.*

*Malitia nõ
potuit vince
re Dei sapi-
entiam.*

Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. hoc palam factum est in virgine Catharina, quæ annos nata octodecim viros etiã grauissimos & humana philosophia clarissimos sua disputatione superauit, & superatos ad Christi fidem conuertit. Superest igitur, vt quando ipse vera sapientia sit, nos ab eo sapientiam postulemus, dicentes, illud Prouerb. 7. diriuentur riuuli tui foras, in plateis aquas tuas diuide. Et quando ipse victor sit malitiæ, sub ipsius agamus præsidio. Omnia, inquit Apostolus, possum per eum, qui me confortat.

2. Secundò ostendit quos effectus habeat sapientia æterna, cum subdit, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia sècundum suum arbitrium.* Iesus Christus æterni Patris sapientia à fine vsque ad finem attingit fortiter & disponit. Quia ille est, per quem condita sunt vniuersa, visibilia pariter & inuisibilia: per ipsum omnia gubernantur & implentur, Coloss. 1. Ephef. 4. Restat igitur, quãdo ipse omnia moderetur & gubernet, vt nos ipsum nostrum regem agnoscamus. Isa. 33. dominus iudex noster, dominus legifer noster, dominus rex noster, ipse veniet & saluabit nos.

Hunc Christum Dei sapientiam omnium dominus dilexit, ipse nanque Dei patris filius est charissimus, in quo sibi complacuit, Matth. 3 & 17. In hoc voluit omnẽ plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter, & reconciliari omnia erga se, siue quæ in cælis, siue quæ in terris. Quando ergo ipsum Deus ipse tam intimè diligit, par est vt & nos eum diligamus, idque neque verbo, neque lingua, sed opere & veritate, Iohan. 3.

Hic quoque spõsus ille est, quem omnes electi exquiescerunt & amplexi sunt, de quo testatus est Ioh. Bapt. Iohan. 3. d. *Qui habet sponsam sponsus est, &c. cui sponso & Paulus suos Corinthios desponsauit: despõdi, inquit, vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, 2. Corinth. 11. Par quoque est vt & nos hinc spõso nostro seruemus fidem, ne nobis obiciatur quod olim de synagoga conquestus. d. Iere. 2. duo mala fecit populus meus. Ne dereliquerunt venam aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, &c. & Ose. 4. Spiritus fornicationum, &c.*

Christus etiam doctor disciplinæ Dei est, & elector operum illius, nam ipse cælestem doctrinã, voluntatẽ-

Malitia sua perare non potest Dei sapientiã inuenientes.

Sapientiam patris, Christum diligere debemus, quem pater tam intimè amat.

Spõso nostra fidẽ nos seruare oportet.

Doctor disciplinæ Dei

*Christus, &
elector ope-
rum illius.*

*Doctrinam
Christi nos
amplecti o-
portet.*

*B. Cathari-
nae constan-
tia & for-
titudo.*

que Patris è cælo attulit, & in nos aperte effudit Verbum, inquit Petrus, misit Deus filius Israël, nuntiās pacem per Iesum Christum: hic omnium dominus est, Act. 10. Hic inuenit (ait Baruch 3.) omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël seruo suo: post in terris visus, & cum hominibus conuersatus est. Et ipse dominus: Iohan. 15. Omnia quęcunque audiui à patre meo, annuntiaui vobis. Et ad Patrem, Iohan. 17. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi in mundo, Verba quę dedisti mihi, dedi eis: ego tradidi eis sermonem tuum. Quum ipse denique doctor sit, quem dedit nobis Deus Pater, teste Iohel 2. cap. reliquum est, vt ipsius doctrinam amplectamur, quum præsertim & Pater celestis hoc vnice exigat, dum inquit: Hunc audite, Matth. 17.

Lectio hæc ob id hodiernæ festiuitati peculiariter cōsecrata est, quòd & ipsa B. Catharina virgo, spreta mundana & vmbatili sapientia, hanc vnam tanquam veram & omnia potentem & elegerit & amauerit & exquisierit cum Salomone, atque adeò tam mordicus tenuerit, vt ab ea neque minis, neque pollicitis, neque verberibus, neque verbis, neq; rotis, neque gladio potuerit auocari, sicque suo declarauerit exemplo, verissimum esse, quod hic Solomon dicit, nempe malitiam non posse vincere sapientiam, & hanc à fine vsque ad finem attingere fortiter, & omnia disponere suauiter. Vnde non ineptè in eius encomion tale canticum canit Ecclesia, d. Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsit, propter amorē domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amauit, in quem credidi, quem dilexi.

EPILOGVS.

1 Sapientie increata commendatio & laus, in quam non incidit malitia, hoc est, peccatum, sed per eam potius à peccatis emundamur. 1. Iohan. 3. Scitis quia ille apparuit vt peccata tolleret, & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat, &c.

2 Amabilem se reddit Sapientia ab vtilitate & pulchritudine. Ab vtilitate, quia multò plura, maiora, & meliora bona habentur per eam, quàm per diuitias temporales. Hinc ait, Quid sapiētia locupletius quæ operatur omnia? Infinitus thesaurus est, quo qui vsi sūt, participes facti sūt amicitie Dei. A pulchritudine, quia nemo castum & immaculatum sese potest exhibere sponso suo Christo, nisi

adfit donum sapientiæ. Hinc Zach. 9. Quid est bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? id est, sapientia efficiens castas mentes.

3 Proverbum est apud d. Dionysium: Optimi est optima adducere. Sic omnium donorum mater sapientia nobis omnia secum adfert, contestante hoc Salomone, Sap. 7. Venerunt, inquit, mihi omnia bona pariter cum illa, temporalia scilicet & eterna. Merito ergo ea a nobis invocanda, super salutem & speciem diligenda, atque regnis & sedibus & totius mundi diutius præponenda est.

IN FERIIS EIVSDEM S. VIRGINIS, EVANGELIUM.

In illo temp. dixit Iesus discip. suis, Simile fiet Math. 25. regnum celorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, &c. Finis Evangelij: vigilate itaque: quia nescitis diem neque horam.

S Aluator ostendit in hac parabola mortis iudicijque incertitudinem atque post hanc vitam meritum vacuitatem. Et ideo admonet non dormitandum aut cessandum esse in vita hac, sed assiduo cultu pietatis & officiis in proximum parandum nobis viaticum in vitam futuram, quod scilicet in resurrectione sero nimis quaesituri hoc ipsum sumus, nisi hic parauerimus maturè. Hinc admonet Seruator Ioh. 12. Ambulate dum lucem habetis, veniet enim nox, quando nemo potest operari, Ioh. 9. Et Paulus, 1. Cor. 16. Vigilate, stete in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia vestra in charitate fiat. Et Gal. 6. Dum tempus habemus operemur bonum, &c.

Mortis iudicijque incertitudo ostenditur.

Præsertim in hac præsentī parabola notatu digna occurrunt tria. Primò delineatur nobis status præsentis Ecclesiæ militantis. Comparatur enim Ecclesiæ arca Noë continentī munda & immunda animalia: & arca in qua est triticum cum palea: item lagenæ, omne genus piscium capienti, Mat. 13. & hæc decem virginibus, inter quas quinque sunt sapientes, & reliquæ quinque imprudentes & fatuæ: in qua nunc egrè discerni possunt mali à bonis, & è cōuerso. Discretio hæc tantum fiet post mortem in futuro iudicio, quando exhibit angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, &c. Mat. 13. Tunc enim sicuti Sal-

Ecclesiæ militantis status, qualis hic sit ostenditur.

uator dicit Iohan. 5. Qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii, dicit ergo Christus: *Simile fiet regnum celorum decem virginibus: quæ sumptis lampadibus suis exierunt obuiam sponso. Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumperunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis. Per decem virgines*

*Christiani
cur virgines
dicantur.*

omnes in genere Christiani intelliguntur: qui nimirum dicuntur virgines, quod castitatem habeant veræ fidei, sintque in baptismo desponsati vni Christo cælesti sponso, satanæque & omnibus eius operibus ac pompis renuntiauerint. Quemadmodum enim quis virgo nascitur, sic & nos in baptismo renascimur spirituales virgines, hoc est, à peccatis & corpore & spiritu puri: quæ in eum finem, vt virginitalatem huiusmodi nostram erga sponsum Christum illibatam seruemus, hoc est, in fide & in vita stabiles sincerique simus, iuxta quod omnes hortamur ab Ecclesia, d. statim à baptismo accepto, Accipe stolam candidam, lampadem ardentem, & custodi baptismum tuum, vt possis Christo occurrere. Hinc nimirum & Paulus ad Corinthios suos, quos per baptismum & fidem Christo adduxerat, inquit, Desponsaui vos vni viro, vt virginem castam exhibeatis Christo, 2. Corinth. 11.

*Fidei casti-
tas sponso no-
stro seruanda*

Hic verò cogiter iam vnusquisque nostrum, num etiã adhuc virgines simus, num etiã fidem Christo sponso seruauerimus. Certè qui vel fornicati vel adulterati sũt, hoc est, vel in hæresim, vel in impiam vitã inciderunt, & extra veram orthodoxamque fidem agunt, Christiãque vel ignorãt vel abnegarunt, ij in scripturis non virgines, sed meretrices & adulteræ dicuntur: iuxta illud Osee 4. Spiritus fornicationum decepit populum meum, & fornicati sunt à deo suo, nec in Christianorum verorum albo sunt, imò ne inter hypocriticos quidem Christianos numerari sunt digni: nam vt vt hypocritæ sunt, virgines tamen adhuc sunt, si non internè, externè saltem.

*Hæretici a-
dulteri, &
Christiano-
rum albo
indigni.*

Rationem quur dominus Christianos decem virginibus compararit hic scire oportet. via domini, per quam nos oportet Christo ire obuiam, est via mandatorum Dei, Plal. 118. Mandata autem decem sunt numero, vt omnibus

Christiani

constat, Comparantur igitur Christiani virginibus decem,

ut admoneamur, decem præceptorum à nobis exigi obseruationem: quemadmodum & Mart. 19. dominus ait: Si vis vitam ingredi, serua mandata. Porro mādatorum horū summa est, fides in Deum, & charitas tum in Deū tū in proximū. Hæc in genere de Christianis dicta sunt.

Spōsus autē cui obuiā exierunt virgines decem, Christus est, uti suprà ex Paulo ostensum est, 2. Corinth. 11.

Per quinque verò virgines prudentes, veri Christiani intelligendi veniunt, per fatuas Christiani adulterini & hypocritici: de vtrisque habes Matth. 7. vbi Christus dicit: Omnis qui audit verba mea, & facit ea sapiēs est, &c. Qui verò audit, sed non facit, stultus est, &c. Item Deut. 32. Gens absque consilio & sine prudentia, &c.

Habere virgines singulæ lampades, at non omnes oleum. Per lampades autem intelligūtur commodè, externa fidei confessio, & externa bona opera: per oleum verò, fides & charitas intelligi debent. Sic ergo omnes Christiani externè quidē fidem cōfitentur & bona opera exercent, verū non omnes fidem etiam cordis habent, ac ex charitatis ductu, rectāq; intentione bonis incumbunt operibus. Sunt itaque ij genuini Christiani, qui & ore fidem confitentur, & corde etiā fidem fouēt, ac quorum opera bona ex vera fide & charitate rectāq; intentione proueniunt. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Contrā hypocritici sunt, qui fidem ore duntaxat profitentur, & externè operātur, veritate fidei & charitatis rectāque intentionis interim vacui, in quos torquetur hoc Euangelicum. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuū tenebrosū erit. vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Nā sicut lampas sine oleo fœter, sic opus sine intentione recta & charitatē, ingrātū est, 1. Cor. 13. Si charitatē nō habuero nihil sum, nihil mihi pdest. Hic iā colligere possumus, verine Christiani nos, an adulterini simus. In summa: Nō externa fidei confessio, nec externa bona opera veros à falsis discernunt, nā vtrique his insigniti sunt, verū sola fides cordis, charitas ex vera fide promanās, conscientia bona & recta ad Deum intentio alteros ab alteris determinant. Si ergo veri Christiani esse volumus, ante omnia, & verā perseverantique fide, & verā charitate præ-

cur decē virgines comparantur.

Spōsus Christi.

Virgines prudentes veri Christiani.

Fatue adulterini & hypocritici.

Lampades externa fidei confessio et opera externa.

Oleum fides et charitas.

Christiani genuini.

Christiani hypocritici.

Opera sine intentione recta & charitate ingrata.

Christiani veri ac falsi per quē discernuntur.

editi esse studeamus: sic enim vltro & cōfessio & externa opera sequuntur.

*Mora est
aduentus
Christi ad
iudicium di-
latio.*

Iam sponsi tardatio & mora, de qua sequitur: Moram faciente sponso, aduentus Christi ad iudicium extremum dilatio est: qui nimirum in longum differt reditū suum, non (vt impij iudicāt) quod omninō emāsurus sit, sed vt longanimitate sua inuitet nos omnes maximē imprudentes ad pœnitentiā & resipiscētiā, ac æternū seruet, testibus Paulo, Rom. 2. & Petro, 2. cap. 3. Olim Gentiles in Deorum suorū encomion hoc prouerbiū statuerunt d. Dij laneos habēt pedes. Multo magis hoc de prædicādū est de Deo nostro vero & Seruatore Iesu Christo, qui pius & lōganimis est super sponsam suā Ecclesiā, de cuius pietate sic ait Isa. 30. Expectat nos Deus vt mifereatur nostri. Sed attendēda & pertimescēda hīc est Laetantij sententia, d. Diuina quidem ira tardē ad vindictā procedit, sed tarditatē supplicij grauitate compensabit. Audiendus ergo Habacuc, 2. cap. Si moram fecerit, inquit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.

*Sponsus lō-
ganimus
super spon-
sam suam.*

2. Secundō ostenditur qualis Ecclesiæ militantis status tandē in fine futurus sit, & quis eius terminus, cū subdit Christus: *Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes, ac dormierunt.* Quod verō quum tardaret sponsus vir-

*Dormitio
aut dormi-
tatio mortē
significat.*

gines omnes dormire cœperūt & dormierunt: per hoc defectus & mors significatur, quibus tam boni quā mali hoc in mundo obnoxij sunt: Nam omnibus semel moriendū est, siue veri siue hypocritici, siue boni siue mali, quia secundū corpus, vnus est omniū interitus, siue pij siue impij: siue sapiētes, siue stulti: siue docti siue indocti, Eccles. 2. Heb. 9. Statutū est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. *Media autē nocte clamor factus est. Ecce*

*Clamor in
media nocte
inexpectatū
domini ad-
uentum de-
notat.*

sponsus venit, exite obuiā ei. Clamor in media nocte, quando altissimē dormitur, aduentum domini repētinum & inexpectatū ad iudicium significat: quemadmodum enim fur in nocte, ita dies domini veniet. Quum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, 1. Thess. 5. Isa. 30. Dum non sperat veniet ei contritio, & sicut in diebus Noë venit diluuium, & in diebus Sodomorum & Gomorrhæorum pluit Deus ignem & sulphur, ita erit & aduentus filij hominis, Matth. 24.

Item Apoc. 3. Si non vigilaueris, veniam ad te quasi fur in nocte, & nescis qua hora veniam ad te.

Porro clamor ille nocte intempesta, spōsi praesentiam nuntians, & virgines à somno ad occurrēdū illi excitās: tubā angelicā denorat, qua (eo tempore quo minimē putabūt homines) mortui omnes in ictu oculi excitabuntur ad vitā, ad iudiciūq; Christi sponsi citabūtur, iuxta illud Matth. 24. Tunc plāgent omnes tribus terrā, & videbunt filiū hominis venientem in nubibus celi cū virtute & gloria multa. Et mittet angelos suos cum tubā voce magna, & congregabūt electos eius à quatuor vētis, à summis caelorum vsque ad terminos eorum. Huius clamoris etiam Paulus meminit. 1. Cor. 15. Canet, inquit, tuba, & mortui resurgēt incorrupti. Item. 1. Thess. 4. Ipse dominus in iussu & in voce archāgeli, & in tuba Dei descendet de caelo, &c. O quantus hic clamor futurus est! Non erit anima tam altē in caelo, nec ita profundē in inferno, nec corpus ita absconditum in sepulchro, quin audiat hunc clamorem. Iste clamor semper feriebat aures B. Hieronymi, qui ait: Quoties diem iudicij cogito, toto corde contremisco: siue bibo siue comedo, semper videtur sonare in auribus meis illa terribilis tuba: Surgite mortui, venite ad iudicium. O vtinam & nos sapius, maximē inter epulas, comestationes, ebrietates & vanas voluptates, iudicij huius & clamoris recordaremur, certē à tam enormibus luxuriis & peccatis abstinereamus. Memorare, ait Sap. nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vtinam Christi consilium adimpleamus, d. Luc. 21. Attendite ne grauentur corda vestra, crapula & ebrietate, & curis huius seculi, ne irruat super vos dies illa repentina. veniet enim tanquam laqueus super iis qui sedent super faciem vniuersae terrae. Sed quid tuba canet? Haud dubiē: Ecce sponsus venit cum maiestate magna, exite de tumulis vestris obuiam ei. Et tunc ait dominus Ioh. 5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocē filij Dei. Sanē, inquam, tunc in momēto, in ictu oculi, iuxta Ezechielem 37. cap. in campo magno ossibus mortuorum pleno, ossa ad ossa, & nerui ad neruos colliguntur, quia surget corpus spirituale, quod seminatū est animale, & resurgēs à mortuis, iā non morietur, mors illi ultra non

Clamor tuba personās est.

Clamor tuba quā efficitur.

Tuba vox quid canitura sit.

*Vox vltima
tuba incun-
da & hor-
ribilis.*

Oratio.

1. Cor. 15.

*Resurrectio
generalis di-
uersimodè
fiet.*

*Opera in fu-
turo iudicio
examina-
buntur.*

dominabitur. O quàm iucunda erit hæc vox in auribus
piorum, & horrenda in auribus impiorum, quemadmo-
dum ad aduentum iudicis lætantur boni, & timent mali.
O domine Iesu Christe fili Dei viui, da in illa hora au-
ditui nostro gaudium & lætitiã, & exultabunt ossa hu-
miliata: non timeamus tunc quæso domine ab auditione
mala, quam audituræ sunt virgines fatuæ, quibus dictu-
rus es: Ite maledicti in ignem æternum. O quàm plan-
gēt se tum omnes tribus terræ, & dicent montibus, cadi-
te super nos: & collibus operite nos. O dies illa, dies iræ,
calamitatis & miseræ. O domine Iesu da nos esse in nu-
mero paratarum virginum, quibus dicturus es hanc vo-
cem clamoris: Venite benedicti Patris mei, possidete
paratum vobis regnum à constitutione mundi, venite
ad nuptias, quia omnia parata sunt, quæ ad æternam bea-
titudinis vitam attinent, Sequitur, *Tunc surrexerunt omnes
virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapien-
tibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ ex-
tinguuntur. Responderunt prudentes, dicētes: Ne forte non sufficiat
nobis & vobis: ite potius ad vendentes & emite vobis.* In die ex-
tremo resurgent omnes boni & mali, sed modo diuerso:
sicut in hac vita, quidam è somno corporali excitantur
à Deo, aliqui à diabolo: alij ad peccatum, alij ad virtu-
tes: alij ad orationem, alij ad fornicationem: alij ad Mis-
sam & ad sacram concionem, alij ad tabernam, &c. Se-
cundum hunc modum variè resurgent in iudicio, Dani-
el. 12. Multi de his qui dormierunt in terræ puluere
euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium
vt videant semper. Quod verò sequitur, quemadmodum
expergefacte virgines omnes adornarint lampades suas:
eo portenditur, simul atque mortui è terræ puluere eu-
gilauerint, consideraturum tum vnumquēque opera
sua quæ in vita mortali gessit. Nam de folis operibus
tunc quæstio fiet: iuxta illud Matth. 16. Futurum est vt
filius hominis veniat in gloria Patris sui cum angelis
suis, & tunc reddet vnique iuxta facta ipsius. Et Pau-
lus. 2. Corinth. 5. Omnes manifestabimur ante tribunal
Christi, vt referat vnusquisque prout gessit propria cor-
poris, siue bonum siue malum. Nam Apoc. 14. Opera il-
lorum sequuntur illos.

Sed quòd prudètes ornauerunt incenderuntque lampades suas, fatuæ verò tandem tum se oleum non sumplisse secum senserunt, obque olei carentiam lampades suas non potuerunt incendere, ideòque à reliquis petierunt illud: eo delineatur, quòd dies domini reuelaturus sit abscondita tenebrarum & consilia cordium. 1. Corin. 4. quòd etiam tum sunt pœnitentia antea actæ vitæ tan-
rus est quæ
 gendi hypocritæ & impij, sed serò nimis. Quandiu in *hic fuerunt*
 hac mortali vita sumus, latet qui veri sint Christiani, qui *abscondita*,
 contra adulterini, at vt ventum fuerit ad iudicium, vltima illa dies omnia declarabit. Tum enim iusti fulgebunt vt sol, Matth. 13. Iniusti verò & hypocritæ videbunt & se & sua opera meras esse nugas & tenebras. Ibi demum petent oleum, hoc est, tangentur pœnitentia, volent aliter actum, at serò, Iohan. 9.

Quòd autem sapientes denegarunt fatuis olei sui communicationem, illud vix sibi sufficere dixerunt: significat, in illo die nemini prodesse posse aliena merita aut
Merita aliena aut
 suffragia, sed vnumquenque suum ipsius onus portaturum, Gal. 6. In presenti seculo, orationibus, ieiuniis, elemosynis, sacrificiis possumus adiuuari: cum autem ante
suffragia in extremo die
 tribunal Christi ventum fuerit, nec Iob, nec Daniel, nec *nemini proderunt.*
 Noë, &c. rogare poterunt pro quoquam. Tunc vix quisque sibi sufficiet, vt sibi testimonium perhibeat conscientia sua, 1. Pet. 4. Vix iustus saluabitur, impius autem vbi parebit? Significat item, neminem piorum tunc confisurum suis meritis, sed in consideratione rigidi iudicij dei omnia sua opera, pro insufficientibus habiturum, solaque diuina misericordia & gratuitis promissis nixurum.

Adhæc verò, quòd sapientes relegarunt fatuas ironicè ad olei venditores: eo notatur illorum stultitia ac securitas, qui in præsentia vita audiunt adulatorem spirituales, sicque veram pietatem negligunt: cuiusmodi assensu-
Stultitia & securitas adulatoribus
 ratores sunt, qui alios ob externam iustitiæ speciem beatificanc, neglecta vera animi pietate, aut peccatoribus ex
fidentiu re- prehēditur.
 falsis indulgentiis remissionem & culpæ & pœnæ (citra Olei vendi-
tores qui
 etiam omnem præcedentem pœnitentiam) pollicentur, *sint.*
 aut in confessionibus (& præsertim in mortis hora) nimis largiter immensam dei misericordiam inculcant, nulla interim iustitiæ diuinæ mentione habita: de qui-

bus agit Ier. cap. 5. Qui hos inquam parasitos audierūt, ij in iudicii die videbūt se miserimè esse deceptos: iuxta illud Isa. 3. Popule meus, qui te beatum dicūt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

Aduentus Christi vltimus gloriosus. Dum autem irent emere, venit sponsus. Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua: nouissimè vero veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Dum irent emere, hoc est, querere suffragium, sed nimis tardè, venit sponsus Christus, cum magna maiestate & gloria, Zacha. 9. Mat. 21. Quod ergo sequitur postquam spūs venisset, solas paratas virgines intrasse cū illo ad nuptias, clausamque mox esse ianuam: inde docemur, nemini

Nuptiarū celestium cōsortiū nullis cōtinget nisi paratis, & per veram pœnitentiā sanctificatis. obuenturum vnquam cælestium nuptiarum & gaudiorum cōsortium, nisi qui paratus sit, hoc est, in fide verā charitatem, innocentiamque exercuerit, iuxta Sap. cōsiliū d. Eccle. 18. Ante mortē para iustitiam: aut saltem per veram anteactæ vitæ pœnitentiā, in sanguine Iesu Christi remissionē omnium suorū peccatorum sit cōsecutus, quia dixit Christus Luc. 13. Si pœnitentiā non habueritis, omnes simul peribitis. Nam alterutrū adit oportet. O quantæ exultationis vox: Ecce sponsus venit, o quantæ dulcedinis: Intrauerūt cum eo ad nuptias. Sed o quantæ item amaritudinis: Et clausa est ianua: Quæ ianua obsecro tum erit clausa? Ianua inquā, misericordiæ, ad indulgendum, quæ modò omnibus aperitur: Ianua gratiæ ad merendū, quæ modò omnibus offertur: Ianua gloriæ, ad intrandum, quæ modò omnibus pœnitentibus reſeratur, Matth. 3. & 4. Sanè tū ea ianua erit clausa, quæ nūc patet venientibus ab oriente & occidente, vt recumbant cum Abrahā, Isaac & Iacob in regno cælorum, Math. 8. Ianua tunc erit clausa, quæ nunc ait Iohan. 6. Eum qui venerit ad me, nō eiciā foras, ea inquam, quæ nunc intromittit per pœnitentiā, homicidas, publicanos, meretrices, adulteros. hocque genus reliquos, vel quamlibet graues peccatores, quandoquidem multus est dominus ad ignoscendū, & pręstabilis super malitiam. Iohel. 2. Tum verò nō talis erit, quia dicit: Et clausa est ianua, pietatis, scilicet, & misericordiæ, quæ nūc lachrymis, gemitibus,

Ianua modò omnibus patet, in iudicii die clausa erit.

& precibus pœnitentium facillè pater. tunc autem nullius pœnitentia, nullius oratio, nullius gemitus amplius admittetur. Etenim tunc erit clausa ianua, quæ Aaronè post idolatriam recepit, quæ Dauidem post adulterium intromisit & homicidium, quæ Petrum post trinam negationem non solum non repulit, sed clauēs suas ei seruandas commisit, quæ publicanum Matthæum ingredi passa est, quæ latronem in cruce non exclusit, quæ & peccatricem Magdalenam non est dedignata. Hæc eadem ianua tunc omnibus virginibus fatuis, id est, peruersis & obstinatis peccatoribus & non paratis, æternaliter erit clausa: quia magna erit eius seueritas post iudicium, cuius ineffabilis misericordia prærogata est. Hinc Amos dicit 5. cap. Cunctis qui foris sunt, dicetur, vx, vx, vx. Apoc. 21. Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

*Seueritas
eius magna
post iudiciū
in eos qui
nunc mis-
ericordia eius
abutantur.*

Postremo verò quòd fatuæ à venditoribus olei reuerfæ inanes, quantumlibet & pulsarint ostium, & apertionem petierint, tulere tamen repulsam, nec intromissæ sunt: inde docemur, non solum post vltimum obsoletum Christi iudicium neminem posse saluari contra opinionem Origenicam, sed & irrationabilem prorsus ac vanam esse illorum fiduciam, qui citra vel veram pietatem vel seriam pœnitentiam hoc in mundo exercitam, sperare audent gloriam regni cælestis. Non enim miserebitur omnibus, qui operantur iniquitatem, Psal. 58.

*Redemptio
et salus post
iudiciū nul-
la.*

*Fiducia
quorundam
vana.*

Ne quis autem hic latronem, & à suscepto baptismo morientes nobis obiiciat: dicimus longè aliam in his & fuisse & esse rationem, quàm in nobis. latro enim morte prohibebatur seu impediabatur, quo minus vitæ pietatem vrgere potuerit: & in eadem ratione ipsi etiam baptizati, si à suscepto baptismate moriantur statim, excusantur: verùm cum nos statim à suscepto baptismo aut accepta iustificatione moriamur, vel piè viuamus, aut post peccatum ex animo resipiscamus oportet, vel nihil nobis salutis polliceri queamus.

3 Tertiò concludit dominus parabolam, & hortatur ut ad exemplum prudentium virginū, serui fidelis, ac pro-

*Exhortatio
ad vigilan-
tiam & bo-
norum ope-
rum comē-
tium.*

*Pœnitentia
in ultimum
finem non
protrahēda.*

*Pœnitentia
sera rarò ve-
ra.*

*Christiano-
rum verorū
& falsorū
præmium.*

uidi patrisfamilias, vigilemus, necnon in tempore nobis paremus bonorum operum commeatum, quia nescimus diem & horam illius aduentus, qui cum subito extiterit, iam non erit amplius tempus beneficiendi, sed vnicuique ferendum erit præmium pro retro gestis, & ait: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Ad nos viuentes hæc verba loquitur, ac si dicat, Si coronari cupitis, certate legitime, si præoccupari nolitis, vigilare omni momento, atque occurrere sponso, Christo cum lucetibus sinceræ conscientia & bonorum operum lampadibus. Nemo pœnitentiam in finem protrahat, dicens illud Augustini. Luuenis sum, faciam illud quod me delectat, & postea pœnitentiam agam: ac si diceret: Percutiam me gladio, postea vadam ad medicum. Heu nescis, vnus horæ puncto vulnus accipitur, quod vix longo tempore ad sanitatem reducitur. Si quis tamen in extrema necessitate constitutus cupit reconciliari deo: fateor quidem, pœnitentiam negare non possumus, sed nec securitatem dare possumus. Nunquid dico damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Igitur vis à dubio liberari, tene certum, & dimitte incertum. Age pœnitentiam dum sanus es, dū potes peccare, quia tunc deferis peccata. Quando autem pœnites, cum peccare non potes, peccata te deferunt, & tu non illa. Sera enim pœnitentia, rarò vera, Hæc August. Hinc Sap. admonet. Eccl. 5. d. Ne tardes conuerti ad dominū, neque differas de die in diem, &c. Sed quodcunque facere potest manus tua instanter operare, &c. Eccles. 9. Nam virgines paratæ introierunt cum sponso ad nuptias, verum fatuis præclusæ sunt fores: hoc est, hypocritæ & impij coniciuntur in tenebras exteriores, Mat. 13. 24. ibunt in ignem æternum, Mat. 25. At veri Christiani subuehantur à Christo in regnum cælestē. 1. The. 4. Quod ut nobis omnibus contingat, vigilemus, & subministremus in fide virtutem, in virtute sciētiā, in sciētia temperantiā, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternam charitatem, in fraternitatis charitate dilectionem, 2. Pet. 1.

EPILOGVS.

I Virginitas quæ propter excellentiam suam præceptum non est,

1. Cor. 7. est res sublimis, quæ etiã apud veteres à priscis sanctisquæ rursus coli non potuit. Hæc tamen ut sublimis virtus non sufficiat, nisi adsit opus fidei & labor charitatis, quibus deo desponsamur virgines castæ.

2. Quisque pro se videat, ne erremus, Deus non irridetur. Nullus nos defendere poterit, si oleum non habuerimus in lampadibus. Hortamur cum Apost. 2. Corinth. 6. ne in vacuum gratiam dei recipiatis. At enim Isa. 49. Tempore accepto exaudi te, & in die salutis adiuui te, Ecce nunc tempus acceptabile, &c.

3. Crebrò repetit Christus, vigilate, quia nescitis diem neque horam, ostendens ignorantiam exitus ab hac vita vtilem esse. Igitur cum illo Paulino epologo libet receptui canere. Vigilate, sate in fide, viriliter agite, estote fortes, omnia vobis cū charitate fiant. Hæc est vita Christiana. Et sic qui vixerint cū apparuerit Christus, habebunt fiduciam, nec pudebunt ab eo in aduentu eius, sed intrabunt cum sponso, scilicet, Christo ad nuptias.

Ignorantia
exitus ab
hac vita no-
bis utilis.

Finis Evangeliorum & Epistolarum de Sanctis.

Hæ sequentes Feriæ suo loco reponendæ, inter sermonem, nempe, de angelis, & festum Simonis & Iudæ, fol. 178.

IN FERIIS S. LVCAE EVANGELISTAE, EPISTOLA.

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, &c. Finis Epistolæ: per fidem eius. Ephes. 3.
1. Cor. 15.

Postquam Apostolus ostendisset Ephesis gratiam cognitionis diuersorum ministeriorum esse sibi collatam, consequenter pergit declarare ipsorum mysteriorum executionem quoque ubi demandatam, quorum ipse factus erat minister secundum donum gratiæ Dei, Act. 9. 1. Corinth. 4. Et præsertim facit tria. Primò ostendit ministerij sui officium sibi commissum quale fuerit, cū dicit: *Mihi omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc in gentibus euangelizare, &c.* Quibus verbis apertè declarat sibi Apostolicam legationem inter gentes commissam, eamque non vulgarem, sed summam arcanamque complectentem my-

1.